

Appendix. — Europa Nro. 33.

## Regnum Mortuorum.

Dialogi Politici Mortuorum.

In Elysio 8. Aprilis 1808.

Don Haro — Mazarin (deux ministres contemporaines.)

La politique Mazarin étoit la finesse; celle de Don Haro la lenteur; celui-ci ne donnoit presque jamais des paroles, et celui là en donnant toujours d'équivoques. Le génie du ministre italien étoit de vouloir surprendre; celui de l'espagnol étoit d'empêcher, qu'on ne le surprit. — *Voltaire.*

*Umbræ colloquentes.*

Don Haro. — Mazarinus.

*Mazarinus.* — Recte ad te invisere volui. Don Haro! mira fiunt.

*Haro.* — Quomodo?

*Mazarinus.* — Ni falor, Tu titulo Principis Pacis gaudebas?

*Haro.* — Pace per nos in insula Phasianorum confecta, dedit mihi Rex titulum Principis Pacis, ad felicem hunc eventum in mea persona designandum.

*Mazarinus.* — Ergo modernus Princeps Pacis, cujus fata tam tristem exitum habuerant, non est de familia tua?

*Haro.* — Non, Mazarine! Familia mea est dudum extincta. Sed solvam dubium tuum. *Don Emanuel Godoy* erat primus ministrorum potentioris usus civitatis, qui sub revolutione pacem cum Gallia iniit. Rex Hispaniae volens celebrem hunc eventum in ejus designare persona; reperit in historia Hispaniae, me ob pacem in Insula Phasianorum conclusam, titulum Principis Pacis obtinuisse, ergo et illi tam honorificam dedit denominationem

*Mazarinus.* — Jam scies, crediderim, quid in Patria tua evenerit? Quid, Princeps Pacis — —

*Haro.* — Novi ego haec omnia, *nil admirari!*

*Mazarinus.* — Putabam, mi Don Haro! turbulenta, mea aetate fuisse tempora. Verum quid erant illa comparate ad praesentia?

*Haro.* — Nihil sub sole novi! Eadem semper est Regnorum politica. Potentia minor multa semper habet pericula, si vicinus ejus potens bello felix sit. Hoc te, dum placet, docebunt exempla historiae. Ipsa politica amicitia cum praepotente Principe non tegit minus potentem contra dependentiam. Esto tibi exemplo recentissimo Borussia. Non est opus tibi, Mazarine! praesentem cursum politicae explanare. Tu ipse major es Minister, quam ut te instruere oporteat.

*Mazarinus.* — Fateamur, Don Haro! gratum, facileque esse Officium Ministri, si Civitas, cui aervit, ubique triumphet: At, quid, si ubique vincatur? — Id concipere non possum, quomodo recte eo momento Madriti revolutio erumpere potuerit, dum copiae gallicae jam ad portas stabant, de qua dici non potest, an pro, aut contra politicam tendentiam Hispaniae sit?

*Haro:* Haec mox evolvuntur. Memineris temporum nostrorum. Dum familia Austriadum Hispaniae imperabat, continua erant inter Galliam et Hispaniam bella, a quo domus *Anjou* (Bourbon) ad solium eluctata est, mutata est multum Politica; Hispania ex nexu familiae ad partes Galliae inclinante,

Ast per novam Dynastiam in Gallia solutus est omnis familiae nexus, ergo novi politici nexus, etiamsi non praesenti, certe pro futuro. Semel iterumque repeto Mazarine, te longe argutiorem esse Ministrum, quam ut non assequaris mentem meam.

*Mazarinus:* Interea suspendamus observationes nostras ad meliora tempora. Lego in publicis paginis sequentes Articulos, qui aenigma mox evolvunt: — Lego.

*Parisiis 3. Aprilis.*

Imperator pridie in provincias Meridionales iter ingressus est, et ante omnia pergit Burdegalam. Imperatorem sequuntur Princeps Neacomienis, Minister rerum exterarum, et Minister Status Secretarius; etiam Imperatrix dicitur Imperatorem secutura. In absentia Imperatoris dirigit negotia consilium Ministrorum sub praesidio summi Cancellarii, et operata omnium Sectionum Ministerii unus ex Auditoribus Consilii Status, ad Ministrum Status Consiliarium deferret. Aula Parisienses deferret vestitum lugubrem per 21. dies pro denato Daniae Rege.

Transeamus ex Hispania in Hollandiam. — Ego lego!

*Ultrajecto 1. Aprilis:* Gubernium proposuit corpori Legislativo calculum expensarum Status pro Anno 1808, quae 75. milliones florenorum constituunt. In hac Summa comprehenduntur Interusura Debitorum Status, et pensiones

om 42 millionibus; expensae hae excedunt redditus in 40 millionibus, pro qua summa cartacea pecunia formatur, quae tamen 7 pCentum Interesse dabit. Medietas Interusuriorum pro debitis Status, medietas salarii, quod annuo 300 fl. excedit; Pensiones ultra 300 fl. solutiones Militarium ultra 1200 fl. Legatorum item ad exteras aulis haec pecunia solventur. Pro tegendis horum 40 millionum Interusuriis levatur contributio annua 3 millionum. Reverta pace, pecunia haec extra cursum ponetur.

Circa hoc meritum Rex 9. Martii ad corpus legislativum nuncium, ac simul etiam projectum legis miserat, quod Legislatio 29. ejusdem acceptavit; In hocce Nuncio Regis, et projecto Legis, haec inter alia leantur: — Expensae ordinariae superant proventus 24. millionibus; interim Rex hunc defectum in 30 millionibus assumit, et quidem principio ex illo, ut media praesto sint; semet cum reliquis continentis Potentis ad expeditionem navalem praeparandi, quae tandem universalem procurare debebit pacem. Cum solatio (ita dicit Rex) annunciamus corpori Legislativo, Galliam fide publica semet obligasse, quod amissas nostras Colonias, in specie Guineam nobis procuratura sit. Quod media, hocce *Deficit* supplendi, concertat, optimum iudicet Rex, quid quid contra opponatur, mutuum. In hocce urgenti statu non esse quaestionem de bona provisione, quae forte nec reperiri posset, sed de malo maiorum minimo, quod nempe in modernis rerum adjunctis nationem minime premeret. Pars, quam Privati conferre debebant, vix ullam subit considerationem. Capitalistae, qui ad hocce mutuum conferre debebant, se paratos inveniant, sentientque, quo duriores sunt circumstantiae, tanto plus publico thesauro succurrere oportere, cum conservatio status publici plurimum eorum intersit; Cumprimis autem tanget eorum illa consideratio, quod Reipublicae maximam sollicitudinem illud causet, ut ante alias necessitates publicas creditorum Status publici securitati consulatur.

*Mediolano 28. Martii.*

In Ephemeridibus officiosis legitur: Insulam *Lessinam* per Anglos occupatam esse, quod falsum est; Insula enim haec adeo bene omnibus provisae est, ut toti vi Anglorum, quam nunc in mari mediterraneo habent, resistere possit, quae nunc ex aliquot navibus subsidiariis, aliisque minoribus consistit, quarum aliquae intra *Flumen et Tergestum* oberrant. Sed naves hae praedatoriae nunc jam disparuerunt, postquam potens classis gallica 10 linealium, et complurium aliarum bellicarum Navium 25. Februarii ad *Corcyram* comparuit. Etiam ad portum Veneticum, et *Tar-*

gestarum missi sunt ordines, ut naves tam italicæ, quam russicæ, quæ ibidem quiescunt, accepto hæc mandato, mox excurrant.

*Vestphalia.*

Celebris *Jacobson*, qui pro natione sua jam tanta fecerat, vinetur serio, nationem suam reformare velle: quo sine quemdam *Lasarum Vendavid* cum nonnullis aliis eruditis Hebraeis in partem laborum vocavit; sperant multi, hac ratione artificiosas Rabbiorum tenebras in Palestinam relegandas fore. Communitates Judaicæ in Regno Vestphaliæ accipient novum Catechismum, qui fundamenta religionis eorum lingua Germanica exhibet.

*Biographia.*

*Haro.* (Don Ludovicus) celebris Minister in Hispania sub Rege Philippo IV. Erat filius Dom Diego *Haro*, et Franciscæ *Susmann*, cujus Germanus *Caspar Susmann*, Comes et Dux Olivarencensis aequè Minister Status sub Philippo IV. fuerat; quo absque hæredibus mortuo, successit in omnibus ejus Bonis Dom Ludovicus Haro. Mansuetudo, aliaque plures eximiae virtutes eum Regi charum effecerunt, cui etiam multa egregia præstitit servitia. Concluserat is pacem cum Belgis, et A. 1659 cum Gallia medio Cardinalis *Mazarini*, quam secutum est connubium Ludovici XIV. cum Infante Hispaniæ. Anno 1660 contulit ipsi Rex dignitatem Ducis ad Marchionatum *Carpio*, nominavit eum *Grandem* Hispaniæ primæ classis, et in perpetuum iniitæ per eum pacis memoriam dedit eidem titulum Principis Pacis. Obiit honoribus, et divitiis cumulatus 17. Novembris 1661 Anno ætatis 63. Iniit connubium cum Catharina *Cordova*, ex qua præter alias proles genuit duos filios; Casparum, et Joannem Dominicum. Dominicus obiit sine relicto hærede, Casparus autem fuit Prorex Neapolis, obiitque 16. Novemb. 1687. Unica ejus filia, quam Antonia *Cerda* eidem peperit, nupsit Anno 1688 Francisco *Toledo* Duci de *Alba*.

---

Vox Hispanicum *Dom* seu *Don*, videtur derivari ex Latino *Dominus*. *Don Pelagius* primus, Rex in *Leon*, initio sæculi 8. dum per Mauros regno suo pulsus, cum suis inter montes Pyrenæos semet recepit, dicitur a suis primus nomine *Dom*, seu Dominus, Rex, compellatus fuisse: Serius hoc titulo compellabantur etiam quidam Monachi, e. g. *Dom Camelot*. Tandem Hispani et Portugalli, ut semet a Monachis distingvant, adoptarunt titulum *Don*, loco *Dom*.

---